

Petrus de Vinea

*Ep. III 39 (Fateor, pater,
quod iuste redarguor...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. III 39 (Fateor, pater,
quod iuste redarguor...)*

settembre 1237

Excusat se magister Petrus de Vineis, si non scripsit, eo quod dominus archiepiscopus non scripserat ei, cum scripsisset aliis, ut petebat.

1. Fateor, pater, quod iuste redarguor, sed iniuste condempnor. 2. Eatenus uerumptamen iustitiae nota porrigitur, quatenus efficacia petitionis extenditur, quamquam subsequenter obiectio defensionis elidit. 3. Sed et tolerandus est filius, si peccauit; paternae decet condempnationis mole non obrui, quam, licet appellationis lima prompte non lateret, supportationis tamen remedio reuerenter eliminat. 4. Etenim, quod in taciturnitate filialis obsequii expergefata memoria paternae dilectionis obstupuit, quam in obliuionem unius pauperis filii, sed deuoti, oblectamenta nobilium et sublimium amicorum deliramenta subduxerant, stupentem patrem natura cogente non arguo, si sompnolentus a filio uoluit per frequentis uocis instantiam excitari. 5. Crudelis tamen et impia condicio sequeretur, si seueri patris iudicium filius sentiat, quem iusti timoris allegatio protegit et ignorantia paternae uoluntatis excusat. 6. Quietis tamen natura, non homine, terminum imponente, euigilatus est pater, filium pauidum et tacitum inuenit ac lacte paternae dulcedinis prae sompni longitudine sitientem confortat, pauidum famelicum educat, sed tacentem accusat: paterna pietas reuerentiam arguit filialem. 7. Confortatus filius loquitur, timoris exceptione se protegit; redargutus, sed tamen a patre non respuit nutrimentum. 8. Sufficitne uobis istud o pater? quod causam uestram ego ipse, qui notor, pietate iustifico? quod me timoris et reuerentiae solius exceptione defendo? quod condempnationis paternae sententiam filiali supportatione deuoto? 9. Dicet forte

pater: «Non sufficit», sed mentem exiget a filio meliorem, ut ibi forte culpam fore confitear, ubi culpa non subest. 10. Quid faciam? cedam patri, culpam confitebor et dicam: «Peccaui, pater, in celum et coram te»? 11. Sed, ut scelus omne prescribam, negligenter me habui. 12. Luxuriose tamen non uixi: sacra paternae reuerentiae nullo meretricio pollui, quamquam obsequium filiale prestare deuotius, prout pater existimat, debuissim. 13. Vestra, pater, est uinea et, si dignemini non uelle contrarium, uestra dicetur. 14. Ad uineae uestrae palmites seu radices nullius corruptionis mixtura peruenit, nulla saporem alterauit insitio, nulla colorem alteritas uariauit. 15. Talem uindemiam habetis ex uinea, qualem plantationis materiam contulistis. 16. Causamini, pater, quod uinea uestra botros in debita quantitate non afferat, quod arefacta sit uinea. 17. Respondeo: «Et uos cur manum subducitis cultui et fontis irrigui copiam denegatis?». 18. Causamini priuignum in filio, detrimentum in alumpno. 19. Respondeo: «Et uos cur lactis dulcedinem alumpno subtrahistis, et cur in filium ita crudeliter nouercatis?». 20. Excusationibus uestris et incusationibus meis manum uestram sompnolentam et debilem a scriptura abducitis propter morbum. 21. Vtinam, care pater, ne michi fuisset hactenus sompnolenta nec aliis expedita! sed, ut uidi frequenter et prouidi, dormitauit haec filio, sed aliis uigilauit. 22. Super hiis omnibus, pace data, petiistis, quod, excusationis nullo proposito, prosperum statum meum, si tamen castra sequentem sequeretur prosperitas, et principalia principis nuntiarem. 23. Durum et impossibile petitur, quod me uestra redargutio sic prostratum, sic iacentem inuenerit, sic relinquat, ut ad increpanda patris eloquia non assurgam. 24. Pacem

propterea nobis dare possumus inuicem, sed nullatenus ego michi et cordi meo, quin doleat, sed et oculis quod non fleant, dum surreptum michi patris animum uideo et causam ignoro. 25. Vineam meam quid fecit uobis, uel uestra potius, quod irrigationem eius ad aliam, quae demum uobis lambruscas afferet, transtulistis? 26. Denique, quantumcumque dolentis ingenio dolor et doloris materia, seu iustitia, subtrahat uoluntatem, Imperio tamen patris obediam et epistolae, quae postquam totam Germaniam circuiuit, tandem ad me nouissimo mense Augusti fatigata peruenit, respondeo, quod corpore ualeo: labore tamen continuo laboro, dum inter Charipdim et Scillam, inter cardinalium scilicet et Lombardorum astutias, nauicula filii tumidis fluctibus fatigatur. 27. Cesarea gesta magnifica uos epistola principis frequenter edocuit, cuius cartam scribentis filii manus, nudam et uacuam aliquando tetigit et uirginem ingenium deflorauit.